Early Journal Content on JSTOR, Free to Anyone in the World

This article is one of nearly 500,000 scholarly works digitized and made freely available to everyone in the world by JSTOR.

Known as the Early Journal Content, this set of works include research articles, news, letters, and other writings published in more than 200 of the oldest leading academic journals. The works date from the mid-seventeenth to the early twentieth centuries.

We encourage people to read and share the Early Journal Content openly and to tell others that this resource exists. People may post this content online or redistribute in any way for non-commercial purposes.

Read more about Early Journal Content at http://about.jstor.org/participate-jstor/individuals/early-journal-content.

JSTOR is a digital library of academic journals, books, and primary source objects. JSTOR helps people discover, use, and build upon a wide range of content through a powerful research and teaching platform, and preserves this content for future generations. JSTOR is part of ITHAKA, a not-for-profit organization that also includes Ithaka S+R and Portico. For more information about JSTOR, please contact support@jstor.org.

Miscellen.

Zur Kritik und Auslegung der Texte.

C. F. Hermanni Parergorum fasciculus II.

XIX.

Apud Platonem post tot doctissimorum hominum curas temerarius videatur, si quis restare putet, quod ne suspicionem quidem corruptelae adhuc moverit; habeo tamen quo offendar, vel in Phaedone p. 83. E: *τούτων τοίνυν ἕνεκα, ὦ Κέβες, οἱ δικαίως φιλομαθεῖς κόσμιοί τέ εἰσι καὶ ἀνδρεῖοι, οὐχ ὧν οἱ πολλοὶ ἕνεκά φασιν*, ubi non video quid sibi velit, quod vulgus philosophorum fortitudini aut temperantiae pravas causas tribuere dicatur, quarum in tota hac disputatione ne vestigium quidem apparet. Nempe haec potius Platonis sententia est, ut aliis causis philosophos, aliis vulgus ad recte faciendum impelli doceat; illorum solorum virtutem sapientia rerumque cognitione niti, hoc quasi propter ignaviam forte, propter intemperantiam sobrium esse ideoque *simulacra* tantum *virtutis*, ut est apud Ciceronem de off. I, 15, in se gerere; cf. p. 69 B: *μὴ σκιαγραφία τις ᾖ ἡ τοιαύτη ἀρετὴ καὶ τῷ ὄντι ἀνδραποδώδης τε καὶ οὐδὲν ὑγιὲς οὐδ' ἀληθὲς ἔχουσα*; idque discrimen haud scio an illo quoque loco ita

declarandum sit, ut scribamus: *οὐχ ὧν οἱ πολλοὶ ἕνεκα φαίνονται* scil. *κόσμιοι καὶ ἀνδρεῖοι εἶναι.* Neque enim *sunt*, ut philosophi, sed quidquid virtutis prae se ferunt, *videntur* potius iusti, fortes, sobrii esse, ut summum scriptoris in hoc opposito acumen appareat; *φασὶν* autem et *φαίνονται* haud raro in codd. confundi dudum docuit Bastius comm. pelaeogr. p. 847. Alius quoque locus est, quem vix sanum puto, Republ. IV, p. 237 D: *ἢ ἐὰν μέν τις θερμότης τῷ δίψει προσῇ, τὴν τοῦ ψυχροῦ ἐπιθυμίαν προσπαρέχοιτ' ἄν, ἐὰν δὲ ψυχρότης, τὴν τοῦ θερμοῦ.* ubi quamvis omnium maxime consentaneum videatur, sitim cum calore coniunctum frigidum, cum frigore calidum potum expetere, Platonicus tamen loquendi usus totusque sententiarum tenor contrarium postulat, ut *θερμὸν* in *ψυχροῦ*, *ψυχρὸν* in *θερμοῦ* locum abeat. Quidquid enim attributi cum aliquo substantivo iunctum cernimus ex nobilissimo Platonis praecepto ita ortum est ut illius notio ad hoc accederet, neque ullum substantivum per se solum quidquam attributi secum gerat; quo exemplo etiam sitis, quatenus sitis est, nec multum neque exiguum potum neque aut calidum aut frigidum, sed solum potum desiderat, reliqua vero ut accedant, aliis notionibus opus est, quae cum siti junctae hoc vel illud potus genus expeti cogant; cf. mox p. 437 E: *οὕτως αὐτή γε ἡ ἐπιθυμία ἑκάστη αὐτοῦ μόνον ἑκάστου οὗ πέφυκε, τοῦ δὲ τοίου ἢ τοίου τὰ προσγιγνόμενα.* Atqui multi potus desiderium multitudinis, exigui exiguitatis notione accedente oriri claris verbis Plato docet: *ἐὰν δὲ διὰ πλήθους παρουσίαν πολλὴ ἡ δίψα ᾖ, τὴν τοῦ πολλοῦ παρέξεται, ἐὰν δὲ ὀλίγη, τὴν τοῦ ὀλίγου*: quidni etiam calidi desiderium caloris potius quam frigoris, frigidi frigoris potius quam calidi notio accedens creabit? Minoris momenti emendationes per eosdem Reipublicae libros verbo indicasse sufficiat; ut l. III, p. 410. B. non dubito quin scribendum sit: *οὐχ ὥσπερ οἱ ἄλλοι ἀθληταὶ ῥώμης ἕνεκα σιτία καὶ πόνους μεταχειρίζονται* pro *μεταχειριεῖται*, notissima constructione, de qua et ipse egi ad Lucian. de Hist. conscr. p. 313. et

Rückertus ad Symp. p. 45 plura exempla attulit; nec l. IV, p. 420 A post ἄλλοσε rectius οἷα δὴ quam οἳ δὴ nec p. 424 D. ῥῆμα ὑποῤῥεῖ πρὸς τὰ ἤθη, sed πως legendum erit, quo facto simul etiam novum exemplum constructionis activae verbi ὑπορρεῖν lucrabimur, quale Wolfius ad Demosth. Lipt. p. 273. et Bastius Epist. crit. p. 231 quaesiverunt; denique haud scio an illius confusionis, qua in hoc Museo T. II, p. 599. καὶ cum articulo vel particula ὡς permutari monui, aliquot exempla etiam hic nondum ab editoribus deprehensa sint, ut l. III, p. 390 B: καθευδόντων τῶν ἄλλων θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων καὶ μόνος ἐγρηγορὼς ἃ ἐβουλεύσατο *), contraque p. 414 E: ὡς ἡ γῆ αὐτοὺς μήτηρ οὖσα ἀνῆκε, postremo, l. VIII, p. 544 C: καὶ δευτέρα ἡ δευτέρως ἐπαινουμένη, καλουμένη δ' ὀλιγαρχία. Sed in eodem libro maior occurrit difficultas, de qua non magis in editorum iudiciis acquiescere possum, p. 559 B, ubi postquam Plato duo necessitatum genera constituit, ἅς τε οὐκ ἄν οἷοί τ' εἶμεν ἀποτρέψαι et ὅσαι ἀποτελούμεναι ὠφελοῦσιν ἡμᾶς, ipsam edendi cupidinem necessariam fore ait κατ' ἀμφότερα, ᾗ τε ὠφέλιμος ᾗ τε παῦσαι ζῶντα δυνατή. Extrema iam antiquos offendisse Athenaeus ostendit l. XII, p. 511 E: πεινῶντα pro ζῶντα exhibens, quod Astius quoque in ordinem recepit, nec si concedimus nimis temerariam mutationem esse, ideo Stallbaumii aut Schneideri rationem probamus, qui vulgatam ita tuentur, ut cibi cupiditatem, hoc est famem interimendi vim habere arguant. At ut taceam cupiditatem ipsam non esse letalem, quo pacto utilis dici mereat, quae interimere hominem possit? Addendum certe erat, *nisi expleretur*, quod Stallbaumius in nota supplet; sed tum quoque nescio quomodo frigeret illud παῦσαι ζῶντα, quod et exquisitius dictum foret, quam reliqua loci simplicitas patitur, neque eam necessitatem declararet, qualem Plato proposuit, cuius hoc maxime proprium est, ut

*) De copula genitivos absolutos cum aliis participiis iungente et ipse disputavi ad Luc. p. 87 et attigerunt Kruegerus ad Xenoph. Anab. I, 10. 6. et Heldius ad Plut. V. Timol. p. 33.

a nulla condicione pendeat, sed suapte natura firma et immobilis constet. Quapropter videndum est ne philosophus scripserit ἦ τε παῦσαι ζῶντα ἀδυνάτη, hoc est: *si quidem finem illi, dum vivit homo imponere non potest*, quod verbis tantum mutatis superiori huius generis definitioni: ἃς οὐκ ἂν οἷοί τ' εἶμεν ἀποτρέψαι, ad unguem respondet. Planius utique dixisset: ἦ τε ζῶντα παῦσαι αὐτὴν ἀδύνατον: nihil tamen insoliti habet attractio, qualem abunde illustrarunt Kruegerus Untersuch. T. III, p. 438 et Boissonad. ad Marini V. Procli p. 125, nec si personalis constructio adiectivorum δυνατὸς, ἀδύνατος, ῥᾴδιος, χαλεπὸς verba activa retineri patiebatur, quidquam causae erat, quapropter haec accusativos, quos secum haberent, praedicativos abiicerent. Unum praeterea Reipublicae locum in transcursu tangam l. IX, p. 573 B, quem haud scio an et difficultate non exigua liberare et apum imagini, quae praecedit, longe accommodatiorem reddere possimus, si pro ποιουμένας, quod idoneo sensu caret, quamvis poetico vocabulo ποτωμένας rescripserimus. Restant autem vel in Convivio, quae sine piaculo tacita praetermittere non posse videamur. Sic ut hoc agamus, p. 188 B, illud quidem plerique senserunt, ἀλλ' ἀνόμοια νοσήματα ferri nullo modo posse, sed contrariam potius sententiam exspectari; sed nec quod Orellius olim proposuit ἀλλ' ἂν ὅμοια, neque Astii coniectura ἀλλ' ἅττ' ὅμοια, neque Sommeri ἀλλ' ἄνομα nec Reyndersii et Winkelmanni παντοῖα, aut literarum vestigiis aut sermonis legibus prorsus respondet, neque sufficere videtur, ut cum Schuetzio et Baitero solum ἄλλα ὅμοια restituamus; immo elegantissimo usu scripsit Plato ἄλλ' αὖ ὅμοια, quod quam facile in ἂν transire potuerit, ipsa Stallbaumianae lectionis varietas ad p. 176 D et p. 207 C ostendit. Brevior disputatio est de p. 177 A, ubi semel opinor monuisse sufficiet in verbis φάναι δὴ πάντας καὶ βούλεσθαι copulam καὶ perperam intrusam esse a sciolo aliquo, qui non intelligeret alterum infinitivum ab altero pendere; neque minus fidenter corrigo p. 201 D. ὥσπερ σὺ δὴ ἡγήσω pro διηγήσω, cui

verbo illic omnino locus non est; paulo pluribus autem opus erit ad p. 216 E, ubi mira temeritate plerique editores verba λέγω vel λέγων ὑμῖν, quae maior codicum pars post ἡγεῖται δὲ πάντα ταῦτα τὰ κτήματα οὐδενὸς ἄξια καὶ ἡμᾶς οὐδὲν εἶναι inserunt, aut prorsus neglexerunt aut si maxime commemorarunt, pro alienis atque insiticiis spreverunt. Unum excipimus Rueckertum, qui tamen, quum vel integra in textum recipi posse suspicaretur, pro temeritatis scopulis languoris et ineptiarum paludes elegit; audaciae vero nota ne Winkelmannum quidem liberare possumus, qui in editione Turicensi minore T. XIX, p. VII. Pindaricam illam Sileni vocem respici ratus, in librorum vestigiis λέγων ὦ ᾽φήμεροι latere censuit; quod si nec caeca fide uti nec quamvis corruptam lectionem nimis longe relinquere fas est, media quadam via ingressus hanc medelam propono, ut λέγων μὲν οὖ in ordinem restituatur, quod ubi propius inspexeris, ipsam sententiam non modo admittere verum etiam postulare dixerim. Proxime enim sequuntur haec: εἰρωνευόμενος δὲ καὶ παίζων πάντα τὸν βίον πρὸς τοὺς ἀνθρώπους διατελεῖ, quae quum adversativam formam gerant, tamen in antecedentibus frustra quaeras quibus commode opponantur, sed si vel maxime eum nexum esse statuas, ut Alcibiades Socratem humanas res spernere, id ipsum tamen dissimulare hominesque ludere per totam vitam dicat, semper mente addendum foret, quod nostra coniectura delucide effatur, eum illum contemtum non prae se ferre, sed dissimulando hominum iudicia fallere. Atqui hoc solum Alcibiadis sententiae convenit, quae haec ipsa est, ut alios homines Socratem extrinsecus tantum nosse et ad externam speciem existimare arguat, hunc autem Sileni instar ludicrum et fallacem tantum esse, se demum intus illum spectasse atque intellexisse, quantopere vel eas res contemnat, quibus ut pulchritudini magnum pretium tribuere videatur; nihil igitur ad perspicuitatem aptius fuerit, quam in sequentibus quoque idem discrimen sic urgeri, ut qui Socratem res humanas spernere contendat, non verbis sed re hoc fieri addat, ne

quis externa specie deceptus ludicras ipsius voces et cavillationes pro seriis amplectatur.

XX.

A Platonis Convivio facili gradu ad cognominem Xenophontis dialogum deferor, quem cum hac ipsa hieme una cum illo auditoribus interpretarer, inprimis me advertit locus c. VIII, §. 17: *πρὸς δὲ τούτοις πιστεύοι, μήτ' ἂν παρά τι ποιήσῃ μήτ' ἂν καμιὼν ἀμορφότερος γένηται, μειωθῆναι ἂν τὴν φιλίαν*, quem sanum esse nullo modo mihi persuades. Schneideri certe interpretationem, qui *παρά τι ποιεῖν* ad *casum* aliquem refert, quo forma pueri mutata sit, iam sequentes editores merito reiecerunt; nobis vero ne illa quidem arridet, in qua et Bornemannus et Herbstius acquieverunt, ut quasi *delictum* pueri significet, qui contra amatoris admonitionem et consilia adeove contra decorum egerit, quo facto si Xenophon amicitiam imminui negasset, haud scio an secum ipse pugnaret, qui eandem amicitiam non levitate ac petulantia sed mutua admiratione honestatisque studio contineri voluit; utque tmesin mittamus, quae quamvis insolita excusationem tamen haberet, tota sententia externam et fortuitam rem postulat, quae quum corporeum amorem minuere possit, animorum tamen necessitudinem non laedat. Itaque iam Iacobsius Addit. ad Athen. p. 37 et Wyttenbachius ad Plut. p. 243 *παραχμάσῃ* vel *παρηβήσῃ* aut simile reponi iusserunt, quod si in libris inveniretur, neminem profecto repugnantem haberet; idem tamen nec corruptelae, quam nunc cernimus, explicandae sufficit neque ut verum fateamur a sequente morbi exemplo tantopere differt, ut his duobus omnes casus exhauriantur, quibus vulgaris amor restingui et obliterari possit; denique sequentia velut digito nobis aliam viam monstrare videntur, cuius vestigia etiam nunc persequi debeamus. Illic enim quin verba: *ἢν δὲ κάμῃ ὁποτεροσοῦν, πολὺ συνεχεστέραν τὴν συνουσίαν ἔχειν*, morbi exemplo respondeant, dubitari nequit; quod si totius loci haec vis est, ut

easdem res, quae corporis amatorem ab amasio divellant, animorum vincula non modo non rumpere, verum etiam arctius constringere intelligamus, id ipsum, quod quaerimus, alterum exemplum in iis latebit, quae morbi mentionem proxime excipiunt: *καὶ ἀπόντων ἔτι μᾶλλον ἢ παρόντων ἐπιμελεῖσθαι*, unde haud scio an commodissime *παραποδημήσῃ* pro *παρά τι ποιήσῃ* eliciamus. Alteram coniecturam dubitantius propono, quippe quam Attici sermonis consuetudini non prorsus convenire sciam, idem tamen non possum quin verbo certe quaeram, num c. IX, §. 5: *σκώπτοντες* rectius quam *σκήπτοντες* dicatur? Quid sensus postulet, clarum est; nempe puerum et puellam Liberi patris et Ariadnae nuptias saltabant, non ficto magis quam vero amore inter se lusisse; at fictum, quod vero opponatur, quo modo *σκώπτειν* significare potest, quo acre potius et infestum ludibrium continetur? *Simulare* vero est *σκήπτεσθαι*, ut Aristoph. Eccl. 1072: *ἀλλ' ἔμπορος εἶναι σκήψομαι*, Lucian. Tox. 15: *κυεῖν τε γὰρ ἐξ αὐτοῦ σκήπτεται*, nec si plerumque medium in hac significatione usurpatur, activum prorsus ab ea abhorrere ostendit Hesychius T. II, p. 1209: *σκήψας* per *προφασίσας* explicans; quod si praeterea recogitamus, ne alibi quidem medium apud Xenophontem reperiri, apud scriptorem, quem omnino puri sermonis non usque quaque studiosum fuisse constat, activum offensionem non habebit.

XXI.

Ecce iterum Cicero, cuius etsi orationem pro Sestio iam in superiori fasciculo attigimus, eadem tamen, ut insigni sua praestantia identidem nos ad se revocat, ita duobus certe locis emendandi materiam si non largam at satis ut nobis videtur probabilem etiam nunc suppedidat. Quorum alter est c. 33, ubi illud quidem neutiquam amplectimur, quod post Schuetzium aliosque vel Madvigio placuit, parenthesin: *ingredior iam in Sestii tribunatum; nam hoc primum iter designatus rei publicae causa suscepit*, ex rhetorico glosse-

mate orta ideoque eliminanda esse; haec enim verba ad compescendam auditorum impatientiam aptissime dicta sunt; ne tamen sanum locum existimemus, abruptum sequentis sententiae initium prohibet: *pertinere ad concordiam civium putavit* etc., quae quovis pignore contendo sic a Cicerone in principio periodi poni non potuisse, neque quidquam certius esse puto, quam antecedentia potius: *sedulitatem atque integritatem hominis videtis*, pro insiticiis tollenda esse, ut quae parenthesin excipiunt, cum *sed tamen* arctissimo tenore continuari possint. Ita demum omnia recte procedent; fatetur quidem Cicero, iter illud Sestii non multum profecisse, sed tamen, inquit, et concordiae civium et perficiendae rei facultatis interesse putavit, animum Caesaris a causa non abhorrere; integritatis contra in toto hoc itnere ne vestigium quidem invenio, quo iudicum oculos orator dirigat, nec dubito quin omnis et sedulitatis et integritatis mentio, quam vel missis sequentibus mirum in modum languere quivis sentiat, a sciolo aliquo inserta sint, qui novam sententiam a verbis *ingredior* etc. ordiri ratus antecedentia quoquo modo supplenda esse arbitraretur. De altero loco breviter tantum significamus, c. 43. pro *pacatissimis Syriae gazis* manifesto *paratissimas* restitui debere; ne tamen internecinum bellum cum librorum lectionibus gerere videamur, eadem opera in c. 45 vulgatam tuebimus: *quis ergo iste optimus quisque?* quae non prioribus tantum editoribus, sed ipsi Orellio adeo intolerabilis visa est, ut vel in novissima recognitione *quis* pro *quisque* scribendum putaret. Solus Madvigius Opusc. T. I, p. 483 codicum auctoritatem defendit; exempla tamen, quibus latinitatem structurae tueretur, nec ipse attulit; de qua quia vel nunc Orellius dubitat, eandem rationem esse moneo Marcell. c. 7: *sed quisnam est iste tam demens*, vel Persii Sat. I. 49: *nam belle hoc excute totum*, et V. 87: *licet illud et ut volo tolle*, ut mittam prorsus geminum locum Arnob. VII. 15: *quisnam est ille maximus?* similique dicendi forma Thucyd. I. 140: τὸ γὰρ βραχύ τι τοῦτο πᾶσαν ὑμῶν ἔχει τὴν βεβαίωσιν καὶ

πεῖραν τῆς γνώμης h. e. *exiguum istud, de quo fortasse bellum geri existimatis, omne experimentum sententiae vestrae continet*, quocum conferri possunt, quae docte collegit Wexius Epist. crit. ad Gesenium, Lips. 1831. 4. p. 10. Neque in sequentibus Ciceronis verbis optimorum librorum auctoritatem spernendam arbitror, qui omissa praepositione *de* sic pergunt: *numero si quaeris innumerabiles;* non quo cum Bakio Schol. Hypomn. T. I. p. 107 *numerum* substituam, sed ipsius ablativi idem ius est quod Rhet. ad Herenn. I. 10: *enumeratione utemur, quum dicamus numero, quot de rebus dicturi simus*, vel Republ. II. 39: *primum enim numero definieram genera civitatum tria probabilia.* Ceterum quia cum Sestiana arctissimo vinculo iuncta est interrogatio in Vatinium, finem huic capiti imponere nequeo, quin illic quoque significem c. 15. pro *nunquam aut*, quod in praestantissimis libris est, neque *a senatu*, ut Madvigio, neque *ut tu* ut Orellio placuit, sed lenissima mutatione *nunquam ante* legendum esse; c. 9. autem ne id quidem necessarium esse, ut iisdem codicibus invitis *non modo emerseris a mendicitate* pro simplici *non emerseris* scribamus. Eadem enim constructionis causa est, quae superius c. V: *adeone non labefactatam rem publicam, sed captam hanc urbem atque perversam putaris*, neque exemplorum copia deest, ubi solum *non* in priori membro pro *non modo* sive *non dicam* positum occurrat, ut Orat. I. 26: *est igitur oratori diligenter providendum, non ut satisfaciat, sed ut admirabilis esse videatur*, aliaque apud Matth. ad Milon. c. 4.

XXII.

Merito exercuerunt editores chori versus in Aristophanis Ranis v. 878:

ἔλθετ' ἐποψόμεναι δύναμιν
δεινοτάτοιν στομάτοιν πορίσασθαι
ῥήματα καὶ παραπρίσματ' ἐπῶν,

ubi et versus acatalectus satis inconcinne inter catalecticos positus offendit, et mirum accidit, quod peculiari imagini, quae in παραπρίσματα continetur, universum et vulgare vocabulum ῥήματα adiectum est. Antiquam sane corruptelam esse scholiasta prodit, qui iam vulgatam sic interpretatur: τὰ μὲν ῥήματα πρὸς τὸν Αἰσχύλον, τὰ δὲ παραπρίσματα πρὸς τὸν Εὐριπίδην λεπτολόγον ὄντα: ne tamen corruptelam esse censeam, illa auctoritate non magis prohibeor quam in Sophoclis Antigona v. 610, ubi quam in conventu philologorum Casselano ex tempore fudi coniecturam: νόμος ὅδ' οὐδὲν ἕρπων θνατῶν βιότῳ παντὶ τίς ἐκτὸς ἄτας: ne diutius quidem perpensam abiicio; neque apud Aristopha-, nem ab emendationum periculo deterriti sunt viri docti, quo ex genere Franckius in Callino p. 81 ῥήγματα, Bernhardus Thierschius in editione a. 1820 ῥεύματα proposuerunt, posteriusque etiam Droysenius amplexus esse videtur:

Kommet zu schauen die Wundergewalt
Beides so mächtigen Mundes, so mächtig
Fluthenden Wortes und Versegeflirrs!

At enim si acatalectum ferendum censuerimus, et numeri, opinor, perpetuitati et ipsi sententiae non melius consulemus quam scribendo: πορίσασθ' εὐρήματα, quo sensu etiam Nubb. v. 446 iunguntur εὑρησιεπής, περίτριμμα δικῶν pluraque εὑροσιεπείας sive εὑρεσιλογίας exempla Lobeckius congessit ad Phrynich. p. 446; sive catalecticus restituendus videatur, sic quoque haud scio an commodissime ad elisionem redeamus, quam etsi nihil offensionis habere iam Brunckius docuit ad Thesmoph. v. 916, eandem tamen nunc in causa fuisse arbitror, ut aut εὑρήματα, aut quod Aristophane etiam dignius esse arbitror, ἕρματα in ῥήματα abirent. Ἕρματα enim uno vocabulo sunt *saxa ingentia*, unde et pro saburra (cf. Intpp. Aristoph. Av. v. 1437) et pro scopulis sub mari latentibus (cf. nostra ad Lucian. p. 355 et Bergk. ad Anacr. p. 145) usurpantur; iisdem tamen quamlibet molem significari et etymologia docet, quam scite Buttmannus in Lexilogo P. I.

p. 113 ab ἐρείδειν repetit, et certa exempla, inter quae Eurip. Hel. v. 860 unice veram Scaligeri correctionem censeo:

κακοῖς δ' ἔφ' ἕρμα στερεὸν ἐμβάλλουσι γῆς,

nimirum ut mortuus certe scelestus τὸν λάϊνον χιτῶνα (Iliad. III. 57) indutus iaceat; quod si hoc certe scholiastam ex probis fontibus hausisse consentaneum est, quod priorem vocem ad Aeschyli poësin ut παραπρίσματα ad Euripideam spectare ait, nihil illi accommodatius fuerit, quam ipsius verba cum ingentibus scopulorum molibus comparari. Sic de Cleone Equ. v. 631:

ὃ δ' ἄρ' ἐνδὸν ἐλασίβροντ' ἀναρρηγνὺς ἔπη
τερατευόμενος ἤρειδε κατὰ τῶν ἱππέων,
χρημνοὺς ἐρείδων καὶ ξυνωμότας λέγων,

ubi sive cum Brunckio et Hermanno in Zeitschr. f. d. Alt. 1837 p. 734 ἐρείπων sive cum Frid. Thierschio in Abhh. d. Münchener Accad. 1834 p. 637 ἐρεύγων substituimus, saxorum imago manet, quae ad ipsum Aeschylum translata legitur Nubb. v. 1371:

ψόφου πλέων, ἀσύστατον, στόμφακα, χρημνοποιόν:

neque alienus est locus de Cratino Equ. v. 529, ὃς πολλῷ ῥεύσας (sive ῥέψας mavis cum Fritzschio Quaestt. Aristoph. p. 259) ποτ' ἐπαίνῳ

διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔρρει καὶ τῆς στάσεως παρασύρων ἐφόρει τὰς δρῦς καὶ τὰς πλατάνους καὶ τοὺς ἐχθροὺς προθελύμνους,

quocum iterum convenit Aeschyli descriptio Ran. v. 903: cf. Ed. Müller Gesch. d. Theorie d. Kunst T. I, p. 275. — Ibid. v. 1038 erat quum offenderer verbis:

τὸ κράνος πρῶτον περιδησάμενος τὸν λόφον ἥμελλ' ἐπιδήσειν,

quia et δεῖν male iterari videbatur nec περιδεῖσθαι galea commode dicitur; quod tamen solum reponi possit περιθηκάμενος, Atticistarum praeceptis repugnat, nisi quis hanc ipsam corrumpendi causam fuisse suspicetur, ut illorum praeceptis

satisfieret, illudque potius eruditos videre velim, ne in Equ. v. 749 legendum sit:

ὅτι τῶν στρατηγῶν ἀποδραμόντων ἐκ Πύλου
πλείσας ἐκεῖσε τοὺς Λάκωνας ἤγαγον.

Locum corruptum esse librorum vacillatio prodit; quorum alii *τὸν στρατηγὸν ὑπεκδραμὼν τὸν ἐκ Πύλου*, alii *τῶν στρατηγῶν* et *τῶν*, alii *ὑποδραμὼν* exhibent; editores autem regimen participii restituisse satagentes, neque illud explicuerunt, quomodo Cleon, ut beneficia in plebem collata probet, fraude adversus imperatores commissa glorietur, neque genitivum *ἐκ Πύλου* attenderunt, pro quo cum Brunckio potius *ἐν Πύλῳ* scribendum erat, si Cleonem illis subrepsisse volebant; denique in Reisigii emendatione, quicum Dindorfius *τοὺς ἐκ Πύλου* scripsit, et genitivus contra codicum consensum in accusativum mutatus est, et desideramus rationem lectionis *ὑπεκδραμών*, quae ad nostram demum pro glossemate adscribi poterat. Acharn. v. 338 obiter moneo legendum videri *ἀλλὰ νῦν λέξον εἴ σοι δοκεῖ τὸν γε Λακεδαιμόνιον κ. τ. λ.*, nec Pac. v. 1294 dubium esse puto, quin Lamachi puer rectius ad *λοφοφόρους* quam ad *λογχοφόρους* mittatur; cf. Acharn. v. 581:

ὦ Λάμαχ' ἥρως, τῶν λόφων καὶ τῶν λόχων,

vel ut scite Thierschius l. c. p. 692 ex Ravennatis codicis vestigiis correxit, *τῶν πτίλων καὶ τῶν λόφων:* in Avibus autem v. 608 plane miror neminem adhuc Pisthetaero reddidisse *παρ' ὅτου* ex pervulgata lege de qua vix opus est quemquam vel mediocriter doctum ad Elmsleium ad Eurip. Med. p. 249 vel Engelhardtium ad Plat. Lach. p. 61 remitti. Aristophanes certe quanta cum religione servarit, exemplorum nubes probat: Ach. 595; Equ. 128. 1073: Nubb. 214. 677. 690. 753. 1248. 1495; Vesp. 48. 793. 1443; Pac. 702. 1215; Av. 164. 299. 960. 997. 1529. 1640, Lysistr. 189. Thesmoph. 209. 489; Ran. 198; Eccles. 521; Plut. 139. 349. 462. 465; quaeque contrariam rationem sequuntur, haud scio an pro corruptis habenda aut alio quovis modo expedienda

sint. Sic Pac. 847 post interrogationem *πόθεν δ' ἔλαβες ταῦτα σύ*; legerim *πόθεν ἢ 'κ τοὐρανοῦ*; hoc est non iterata sed nova quaestione: *unde nisi ex coelo?* pro *οὐκ ἄλλοθεν ἤ* sive *εἰ μὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ*, quo sensu etiam non praegresso *ἄλλος* simplex *ἤ* usurpari docuit Eustath. ad Odyss. XI. 171 et Fisch. ad Well. T. III, P. 1, p. 205; eademque synizesi fortasse etiam Av. 1243: *ποίοισιν ἢ ἡμῖν τοῖς ἐν οὐρανῷ θεοῖς*: cf. Elmsl. ad Acharn. v. 619; alia vero duo exempla Ran. 1424 et Eccles. 761 non hoc tantum soloecismo, verum universae sententiae languore tantas suspiciones movent, ut nisi protinus deletis nec verbis elegantiam nec sermoni nervos redire arbitrer. His igitur exceptis ubicunque iterata quaestio interrogativam vocem habeat, relativa substituenda erit; e contrario autem interrogatio relativo succedere debebit in Lysistr. v. 289, ubi vel recentissimus editor Engerus librorum lectionem sine ulla dubitatione servavit:

χὤπως ποτ' ἐξαμπρεύσομεν
τοῦτ' ἄνευ κανθηλίου;

meo quidem sensu languidissime, si quidem nulla causa apparet cur senes in cohortatione asellum abesse jubeant. Longe utique vividior oratio procedit, si cohortationem in exclamationem et querimoniam converterimus: *πῶς ποτ' ἐξαμπρεύσομεν*; idque ut certissimum habeamus et praecedens verbum *ἔχω* suadet, cuius extrema syllaba facile duplicabatur, et ipsius antistrophae comparatio confirmat, quae nunc demum sublato, quod metri causa interpositum erat, otiosissimo *γὲ*, ad sanam codicum lectionem redire poterit: *κἀστὶ Λήμνιον τὸ πῦρ κ. τ. λ.* Postremo Vesp. v. 1221:

ξένος τις ἕτερος πρὸς κεφαλῆς Ἀχέστορος,

haud scio an pro extrema voce reponendenda sit *σακεσφόρος*, hoc est Epicrates, quem propter ingentem barbae modum hoc cognomine ab aequalibus notatum esse constat; cf. Platonis comici versum apud Suidam:

ἄναξ ὑπήνης Ἐπίκρατες σακεσφόρε,

pluraque apud Intpp. Eccles. v. 7. et Bergk. com. Att. reliqu.

p. 389 sqq. Quamvis enim post finem demum Peloponnesii belli inter oratores et demagogos locum invenisse Epicrates videatur, nihil tamen impedit, quominus jam Ol. LXXXIX inter Cleonis compotatores fuerit; quo tempore si vigesimum annum agebat, poterat quadragenarius cum Thrasybulo contra oligarchos pugnare, quinquagenarius legationem Persicam obire, necdum sexagenarius pacem Antalcideam suadere; nec quod ξένος appellatur, in tanta huius calumniae frequentia offendit; cf. nos ad Lucian. p. 249 et Elmsl. ad Acharn. v. 518. Illud sane mirum, quod eodem tempore Acestorem poetam tragicum pro peregrino carpi videmus Av. v. 31 aliisque locis, quos docte collegit Bergkius l. c. p. 123, eundemque plurimi in Vespis agnoscere non dubitarunt; genitivum tamen nemo facile explicabit, sive nominativum *Acestorum* pro *Acestore* statuerit, Aristophani Aeolismum obtrudet, qualem vix Sophoclis ἀλαστόροισιν Antig. v. 974 indulgemus; ipse denique Acestor identidem *Sacae* cognomine ridetur, unde facile fieri poterat, ut semidoctus grammaticus, qui ξένον σακεσφόρον legeret, Acestorem pro glossemate adscriberet, idque nomen in tanta literarum similitudine mature in textum irreperet.

XXIII.

Plutarchi moralia, quorum in emendatione ante hos viginti annos prima iuvenilis ingenii tentamina posui, post diuturnam intermissionem in manus meas retraxit Duebneri opera, qui inter plurima eruditionis et industriae specimina, quibus beatissimi otii Gallici opportunitatem in philologiae commoda convertit, illos quoque libros ad codicum Parisinorum fidem, unde adhuc fere tota eorum salus pendet, ita recensuit, ut se eos vel post Wyttenbachium in tribus fere locorum millibus emendasse gloriari posset. Sunt tamen vel nunc quae medicinam flagitent, ut de Fort. Rom. c. 10, ubi inter varia fortunarum fana a Servio Tullio exstructa etiam haec leguntur: παρὰ δὲ τὴν Μουσκώσαν καλουμένην κρήνην,

ἔτι παρθένου τύχης ἱερόν ἐστι, καὶ ἐν Ἀβησκώμαις ἐπιστρεφομένης, manifesta corruptela, quam tamen ille vel in secundis curis retinere quam ἐν Αἰσχυλίαις legere maluit, quod a Meziriaco et Mercero ad Nonium p. 142 commendatum iam Huttenius in ordinem receperat. An ne sic quidem persanatum mendum existimavit? Laudo; modo ne illud eum deterruerit, quod in titulo ipsius Plutarchi aetate inferiore apud Gruterum p. 250 in Palatino monte *vicus Fortunae respicientis* nominatur, cuius per temporis decursum etiam pluribus locis signa erigi potuerant. Esquiliarum enim vestigia in literis ησχυμαις nimis clare apparent; at restat utique syllaba αβ, quae a prioribus protinus neglecta ita demum locum integritati suae reddet, ubi scripserimus ἐν αὖ Αἰσχυλίαις. Particula αὖ inter praepositionem et nomen positae exempla offerunt Heidorf. ad Plut. Sophist. p. 431 et Winckelmanni ad Euthyd. p. 13; nostro prorsus simile est Plat. Phaedr. p. 238 C: καὶ ὑπὸ αὖ τῶν ἑαυτῆς συγγενῶν ἐπιθυμιῶν κ. τ. λ. neque aliter apud ipsum Plutarchum de Fato c. 4, ubi Wyttenbachius et Duebnerus κατὰ τόδε scripserunt, ex vulgata lectione καθ' αὐτὸ δέ rectius elicias κατ' αὖ τόδε *ne litera pereat*, ut Iacobsii verbis utar de re critica p. 21, ubi eodem exemplo ἀλλ' αὖ μετεώρους pro ἀλλὰ μετέωρος commendavit. Similiter et de Ei ap. Delph. c. 19. non in eo subsistere debebat, ut cum Wyttenbachio ὥσπερ αὐγή reponeret, quum in codd. lectione ὥσπερ ἀκμῇ manifesto lateat ὥσπερ ἐν αὐγῇ: neque de glor. Athen. c. 2. ipsius coniecturam σύρραγμα probare possum, ubi vulg. σύγγραμμα ad σύγκραμα potius conducit; vel ut iam ad ea exempla redeamus, ubi quamvis corruptam vulgatam servavit, ibidem c. 7 tam reconditum mendum iacere puto, ut non levi mutatione tolli potuerit. Aliquid turbatum esse dudum interpretes intellexerunt, nisi statuere vellemus, quod etiam Boeckhius ad Pind. fragm. p. 688 merito reiecit, Epaminondam in proelio poeticam orationem pronuntiasse; ne autem cum Wyttenbachio et Bergkio Poet. lyr. p. 277 Pindarum pro Epaminonda sub-

stituamus, carmen bellicum, quo Plutarchus respicit, adeo pervulgatum et antiquum fuisse videtur, ut scriptor poetam aut ipse non nosset aut ne nominandum quidem existimaret, cf. de frat. amor. c. 11 et Athen. I, p. 19 A cum nota Dindorfii; neve cum Boeckhio aliquid excidisse arbitremur, vetat constructio, qua participium ἐπιδιδόντες cum ἄνδρες ita cohaeret, ut non modo nihil lacunae appareat, sed etiam confirmetur, quod ad libellum de superst. p. 14 docui, Plutarchum poetarum verba, quibus utatur, saepissime cum sua ipsius oratione continuare eoque facto ad ipsam rem, quo referantur, etiam magis accommodare. Quae quum ita sint, omnia recte expedientur, modo pro εἶπεν reposuerimus ἔπεσεν: *ut Epaminondas Thebanus cecidit*, h. i. qualem ille mortem occubuit, structura arctissime cum antecedenti θάνατον coniuncta, Thebanique ducis auctoritate a verbis ad rem et exemplum translata, quo ille se, ut mox Plutarchus ait, ὑπὲρ πατρίδος καὶ τάφων καὶ ἱερῶν τοῖς καλλίστοις καὶ λαμπροτάτοις ἀγῶσι tradidit. Magis ambigo de ea coniectura, qua Isid. et Osir. c. 29 pro αἰδοῦς υἱόν suspicatus sum αἰδοῖον, praesertim quum Halmium in Zeitschr. f. d. Alterth. 1843, p. 27 αἰδοῦς ἄξιον malle videam; in eiusdem tamen libri c. 49 haud scio an ipsum virum amicissimum assentientem habiturus sim, quum in verbis τοῦ δὲ σώματος τὸ ἐπίκλητον καὶ νοσώδες κ. τ. λ. pro ἐπίκλητον potius ἐπίκτητον quam cum Marklando ἐπίκηρον aut cum Meziriaco ἐπιληπτικὸν scribendum esse contendero. Levissimam medelam esse in promptu est; eandem vero quum universo philosophorum Graecorum tum Plutarchi sermoni familiarem nostroque loco aptissimam esse, exempla ab ipso Wyttenbachio Animadv. p. 502 allata docent, unde τὸ ἐπίκτητον h. e. *asciticium* et *peregrinum* naturali et sano opponi intelligimus; adde Philostr. Epist. 40: ἡ καλὴ οὐδενὸς δεῖται τῶν ἐπικτήτων, et Creuz. ad Plotin. de Pulchr. p. 242. Etiam c. 80: τῷ δὲ κύφι χρῶνται καὶ πόμασι καὶ κράμασι, extremae voci, quae non iniuria interpretes exercuit, ex toto capitis tenore

substituo *ἀρώματι*: eademque fiducia de Pyth. orac. c. 4 pro *πέμψαι τι πρὸς τοὺς ναυαρχούς* emendo *σκῶψαι*, quod prorsus eodem modo in iocosa comparatione usurpat Plato Menon. p. 80 A. Magis probo quod Duebnerus impeditissimum locum de Orac. def. c. 24 intactum relinquere, quam praepostere corrigendo etiam vestigia antiquae lectionis abolere maluit; non tamen tanta difficultas esse videtur, ut vel a tentamine emendationis abstinere cogamur. Apud Duebnerum haec legimus: *οὐδὲν γὰρ ἐν ἀριθμῷ τῶν ὄντων ἐστίν· οὐδὲ μὴν λόγος ὑπάρχει κοινὸς οὐδὲ τυγχάνει τῆς τοιᾶσδε προσηγορίας, ὃ μὴ κοινῶς ποιὸν ἰδίως τ' ἐστίν· ὁ δὲ κόσμος οὐ λέγεται κοινὸς εἶναι, ποιὸς δ', ὡς τοίνυν ποῖός ἐστιν ἐκ διαφορᾶς τῆς πρὸς ἄλληλα συγγενὴς καὶ μονοειδὴς γεγονὼς τοιοῦτος*: Wyttenbachius hanc refingendi viam iniit: *οὐδὲν γὰρ ἓν ἀριθμῷ τῶν ὄντων, οὔτε τί ἐστιν, οὗ γε μὴ λόγος ὑπάρχει κοινός· οὐδὲ τυγχάνει τῆς τοιᾶσδε προσηγορίας ὃ μὴ κοινῶς ποῖον ἰδίως τ' ἐστίν· ὁ δὲ κόσμος λέγεται τῷ κοινῶς εἶναι ποῖος, ἰδίως δ' αὖ ποῖός ἐστι κ. τ. λ.*: mihi genuina scriptoris manus haec fere esse videtur: *οὐδὲν γὰρ ἓν ἀριθμῷ τῶν ὄντων ἐστίν, οὗ ἂν μὴ λόγος ὑπάρχῃ κοινὸς, οὐδὲ τυγχάνει τῆς τοιᾶσδε προσηγορίας, ὃ μὴ κοινῶς ποιὸν, ἰδίως δ' ἐστίν· ὁ δὲ κόσμος οὐ λέγεται κοινῶς εἶναι ποιός, ἰδίως τοίνυν ποιός ἐστι κ. τ. λ.* Plutarchus plures mundos esse posse ita demonstrat, ut quidquid sit habere dicat quod sui simile sit, neque quidquam *unum* dici posse, nisi quod ipsum ex partibus toti similibus constet, ut mox de terra et mari ait: *ὁ γὰρ λέγων, ὅτι καὶ γῆν μίαν ἔχει καὶ θάλατταν, ἐμφανές τι παρορᾷ τὸ τῶν ὁμοιομερῶν*: sive ut nostro loco est, quod *κοινῶς ποιὸν* sit, hoc est cuius qualitas in partium suarum communione cernatur; mundum autem, qui *ἐκ διαφόρων φύσεων συνέστηκε*, quia alia universi ac partium natura est, *ἰδίως ποιὸν* appellat, iamque totius argumentationis haec sententia est: *nihil eorum quae sunt unum numero est, nisi cuius notio* (cum partibus) *communis sit, neque hac* (unius) *appellatione utitur, quod non communem sed peculiarem qua-*

litatem habet; peculiari igitur qualitate est, ex partium inter se discrimine cognatus et uniformis factus. Ibidem c. 40: *ταύτην οὖν ἔχουσαι τὴν δύναμιν ψυχαὶ σύμφυτον μὲν καὶ ἀμυδρὸν καὶ δυσφάνταστον*, pro *innata* vi, quae cum *obscura* male congruit, in promptu est scribere *σύμφυρτον*, *confusam*, qua de voce cf. Creuzer. ad Plotin. de Pulchr. p. 246 et Iacobs. ad Themist. Orat. XXI, p. 261; nec de amor. prol. c. 1 dubito quin *δικαστηρίων ξενικῶν ἀγωγαὶ* rectius mutentur in *ἀρωγάς*, *auxilia*, sicut de fato c. 5 pro *προείρηται* in libris perperam scriptum legimus *προηγεῖται*: c. 2 autem pro *τὰ τολμηρὰ δειλὰ* manifesto corrigendum est *τολμηρὰ τὰ δειλά*, ut respondeat sequentibus *φιλόπονα τὰ ῥάθυμα καὶ φειδωλὰ τὰ γαστρίμαργα*. De curios. c. 3 nescio quomodo displicet genitivi positio in verbis: *τὰ κρυπτόμενα καὶ λανθάνοντα κακὰ πάσης οἰκίας ἐκλέγουσι*, quorum loco elegantius certe, opinor, legeremus *κατὰ πάσης* vel etiam *πάσας οἰκίας*: certior tamen et corruptela et correctio est de cupid. divit. c. 3, ubi pro *ἔλιγμα πλάγιον* non dubito rescribere *ἕλιγμά τι ἀλγεινόν*: cf. Soran. de signis fractur. p. 45, ubi *ἕλιγμα* de fractura vel laesione cranii usurpatur. Ibid. c. 10 extr. pro *καὶ εὐωχίας* necessarium est scribi *καὶ ἐν εὐωχίαις*, ut opponatur praecedenti *κἂν μόνος δειπνῇ*: nec minorem in modum commendo de invid. et odio c. 5 *ἢ ὅτι ἂν τύχωσι* post *ἢ φοβεῖσθαι τὸν ἄνθρωπον ἢ μισεῖν*, vel de vit. pud. c. 4: *οὕτω γὰρ ἀπώλετο Δίων* pro *παραπώλετο*, cuius vis ab hoc loco prorsus aliena est; *παραπόλλυσθαι* enim est *obiter* vel *improviso*, velut *ἐν παρέργῳ ἀπόλλυσθαι*, ut Demosth. Mid. p. 543, Lucian. Hermot. c. 1, Nigrin. c. 13, Anach. c. 13 etc. Dionem autem Plutarchus dilucide *οὐκ ἀγνοῆσαι ἐπιβουλεύοντα Κάλλιππον* ait. De sera num. vind. c. 22 ne Wyttenbachius quidem offendit in verbis: *ἐθεᾶτο τῶν μὲν γνωρίμως πονηρῶν γενομένων ἢ κολασθέντων αὐτόθι τὴν σκιὰν οὐκέτ' εἶναι χαλεπῶς οὐδ' ὁμοίως τριβομένην ἀτελῆ περὶ τὸ ἄλογον καὶ παθητικὸν ἐπίπονον οὖσαν*, quamvis attributorum cumulatio multum duritiae et ambiguitatis habeat; so-

lus Reiskius emendatione opus esse vidit; sed ut fere solet, machinis et tormentis rem aggressus est, quae uno digitulo moveri posset scribendo ἅτε δὴ pro ἀτελῆ, quo facto omnia clare et ordine procedent. Opponuntur enim, qui aperte scelesti fuerunt, dissimulatoribus, qui honestam speciem secuti sunt; hi gravius puniuntur, quia ἐν τῷ λογιστικῷ καὶ κυρίῳ τὴν μοχθηρίαν εἶχον, illi, qui cupiditatibus potius obsecuti patiendo magis quam agendo peccaverunt, οὐκέτι χαλεπῶς οὐδ' ὁμοίως ἐτρίβοντο, quia ipsorum sollicitudo et pravitas circa irrationalem animae partem substiterat. Libelli de fato duos locos iam superius correxi; tertius restat c. 6: τὰ μὲν οὖν πρότερα ὡς ἐξ ἀνάγκης γιγνόμενα ἀναγκαῖα προσαγορεύεται, τὰ δὲ πρὸς τοὐναντίον ἐπιδέχεται, ἐνδεχόμενα. Constructioni laboranti vel Huttenius succurrere conatus est coniiciendo τὰ δὲ ἄ: ego ne litera pereat, suadeo: τὰ δὲ ἄρα ὅσα τοὐναντίον κ. τ. λ. Denique ex aureo dialogo de genio Socratis, cuius peculiarem olim editionem destinaveram, duos saltem locos speciminis gratia emendatos exhibebo, ut non solum, quam depravatus hic liber sit — id enim inter omnes constat — sed etiam quam facile passim in integritatem restitui possit appareat. C. 1 sensu caret vulgata lectio: ἡμεῖς δὲ παρὰ δυσὶ τῶν ἱερῶν σπουδάζοντες οὕτω διεφάνημεν, quod nescio utrum licentius an ineptius latinus interpres ita reddidit: *cui* (scil. Socrati) *nos per duos discipulos revera disserendi studiosi visi sumus.* Agit sane in antecedentibus de Socrate Caphisias, apud eumque vetus illud Boeotorum εἰς μισολογίαν ὄγκιδος evanuisse ait, quod Simmiae Cebetisque meritum fuit; his ipsis autem se ita vel opponit vel adiungit, ut se quoque, quamvis Socratem praeceptorem non habuerit, eodem emersisse jactet; tantumque abest, ut, quod interpres fecit, ἡμεῖς ad universos Boeotos referri liceat, ut si vel maxime δύο τῶν ἱερῶν *duo discipuli* dici possent, ne particula δὲ quidem eosdem intelligi passura sit, quorum causa omnino Socrates locum in quaestione de φιλολογίᾳ Boeotorum inveniat. Alius igitur magister quaerendus est, cui Ca-

phisias idem debuerit, quod Simmias et Cebes Socrati, neque eum longius repeti opus est, siquidem in ipsis codd. ductibus cognoscimus *Λύσιν τὸν ἱερόν*, famosissimum Pythagoreum, quem quum Epaminondam erudivisse antiquitatis consensus testetur, optimo iure etiam Caphisiae fratri huius, qui apud Plutarchum est, magistrum dabimus. De Lyside Tarentino eiusque vita Thebis acta cf. Grauertus de Aesopo p. 27; is autem *ἱερὸς* eodem sensu appellatur, quo Arignotus ille apud Lucianum Philops. c. 29, *ὁ κομήτης, ὁ σεμνὸς ἀπὸ τοῦ προσώπου, ὁ ἀοίδιμος ἐπὶ τῇ σοφίᾳ, ὁ ἱερὸς ἐπονομαζόμενος*: neque adeo illuc confugi necesse est, quod tamen et ipsum ex c. 16 apparet, ut mortuum iam tum fuisse Lysidem recogitemus, quod genus ipse Plutarchus V. Solon. c. 21 *ἱεροὺς νομίζειν ὅσιον* esse ait. At idem de aud. poët. c. 6 omnino *καὶ πράγματα καὶ ἤθη καὶ νὴ Δία καὶ λόγους καὶ ἄνδρας δαιμονίους καὶ θείους* appellari solitos esse testatur; utque Macrobiorum scriptor c. 29 Quintillum, cui librum suum dedicat, *ἱερώτατε* alloquitur, ita quicunque reverentia digni viderentur, omniumque maxime philosophi Pythagorici et Platonici honoris illo vocabulo nuncupari coeperunt. Platonis ipsius solemne est cognomen *ἱερὸς* vel *ἱερώτατος*, ut in iisdem Macrobiis c. 21 aliisque Luciani libris. Fugit. c. 18 et Amor. c. 72, item apud Agasium in Photii Bibl. cod. 179; Hierocles autem apud eundem Photium cod. 214 totam Platonicorum sectam *τῆς ἱερᾶς γενεᾶς φῦναι* ait; nec mortuum tantum Thraseam Arulenus Rusticus secundum Dion. Cass. LXVII, 13 *ἱερὸν* dixit, sed etiam vivus Sopater a Iuliano Epist. 40 ita appellatur: *καὶ δὴ καὶ ἀντέγραφον εὐθὺς, οὐ πρός σε μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸν ἱερὸν Σώπατρον τὸν ἐκείνου παῖδα κ. τ. λ.* Sed satis exemplorum in re, quam peritis verbo indicasse sufficiat; brevius defungemur altero loco, qui est in cap. 15: *ἄσκησιν δὲ καὶ μελέτην μετὰ ἐγκρατείας οὐχ ἧπερ ἔτι καὶ νῦν ἐφείλκυσθε πάντες ὑμεῖς, ὅταν γυμναζόμενοι καὶ κινήσαντες ὥσπερ ζῶα τὰς ὀρέξεις ἐπιστῆτε λαμπραῖς τραπέζαις κ. τ. λ.* Verbum *ἐφείλκυσθε* merito displicuit

Wyttenbachio, qui ἤνπερ ἐπιδείκνυσθε vel ἔφη δείκνυσθε conjecit; at nimis ut mihi videtur, a literarum ductibus discedens; Plutarchus, nisi egregie fallor, scripsit ἔφη ἀσχεῖσθε, quo cum verbo etiam dativus ᾗπερ integer servari potest; solum μετὰ post μελέτην cum Dübnero uncis includendum erit.

XXIV.

In extremo huius fasciculi capite per saturam de variis locis agere parantem ipsum saturae vocabulum primum ad Varronis fragmentum revocat, quod ex illius Bimarco servavit Nonius p. 107: *ipsum propter vix liberti semiatrati exsequiantur*, ubi vix arbitror *protervos libertos* placere posse, quos ex Turnebi coniectura nuperrimus editor Oehlerus p. 101 in ordinem recepit. Ad literarum certe ductus nihil propius accedit quam *propter viam*, unde illam aetatem multiplicem ludendi materiam sumsisse et Plauti Rudens docet I, 2. 62: *ut mea opinio est, propter viam illi sunt vocati ad prandium*, et Catonis iocus apud Marcrob. Saturn. II, 2, qui *Albidium quendam, qui sua bona comedisset, et novissime domum, quae ei reliqua erat, incendio perdidisset, propter viam fecisse dicebat: quod comesse non potuerit, id combussisse;* quae si ad nostrum locum contulerimus, haud scio an hic quoque prodigus descriptus fuerit, cui bonis omnibus dilapidatis nihil nisi corpus reliquum fuerit, quod quum post mortem cremaretur, id ipsum sacrificio *propter viam* assimilari poterat, in quo *mos erat, ut si quid ex epulis superfuisset igne consumeretur*. Libertorum partes in exsequiis clarissime docet Persii locus Sat. III, 106:

hesterni capite induto subiere Quirites;

semiatratos autem Varro appellasse videtur, quia mortem patroni, quem vivum iam omni re familiari exuissent, non valde lugebant. Varroni succedat aequalis ipsius Lucretius, cuius inter plurimos alios etiam hi versus difficiles habentur l. II, 20—22:

ergo corpoream ad naturam pauca videmus
esse opus omnino, quae demant quemque dolorem,
delicias quoque utei multas substernere possint,

omnia tamen concinnitatem recuperabunt, si v. 22 pro *utei* scripserimus *ei* idque ad antecedens *quemque* retulerimus, quod pro *quemcunque* dici potuisse exempla a Walthero ad Tac. Ann. I. 6 collecta docent; sive illic *quomque* praetuleris, eadem causa erit, siquidem etiam *quomcunque* Lucretio usitatum fuisse propinquum exemplum v. 113 probat. Similiter in proxime antecedentibus:

nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut cui
corpore seiunctus dolor absit etc.

ne coniectura quidem opus erit, modo *cui* indefinite dictum statuamus pro *τινὶ, alicui* sicut hoc ipsum pronomen usurpatur Iuv. Sat. XI. 202:

quod pudeat narrasse aliquem praesentibus ipsis;

mox autem v. 151 exigua mutatione et sententiam et colorem orationis Lucretianae restitui arbitror scribendo:

non per inane meat vacuum, quo tardius ire
cogitur, aërias quod vi diverberat undas,

pro *quod sic* vel quod alii dederunt *quasi quum;* sive codd. auctoritas *quum* magis tueri videatur, eodem redibit *quum vi diverberet undas.* Graviore medicina opus erit ad sanandum locum desparatissimum hymni Homerici in Mercur. v. 86 ubi in codd. lectione:

οἷα δ' ἐπειγόμενος δολίχην ὁδὸν αὐτοῤῥεπὴς ὡς

et verbum finitum aegre desideramus et insolentiam adiectivi *αὐτοῤῥεπὴς* iure nostro miramur; audaces tamen si fortuna iuverit, utrique difficultati medicina parata est restituendo *εὐτρέπισ' αὕτως.* Homericum *αὕτως* pro *οὕτως* abunde illustravit Buttmannus Lexil. P. I, p. 35; quod si aliquo casu lineae superscriptum erat, facile fieri poterat, ut prior eius pars verbo *εὐτρέπισ'* praeposita monstrum illud adiectivi procrearet; sententia vero planissime sic procedet, ut Mercurius ita apparasse dicatur, ut ad longum iter, quo properabat,

necessaria essent. Neque apud Dionem Chrysostomum desperamus de verbis Orat. LXVI, ubi vel recentissimus editor, qui mihi quoque ut multis flebilis occidit, p. 709 librorum lectionem quamvis manifesto depravatam retinere sategit: *οὔκουν καὶ ἐὰν ἀργύριον γένηταί τις εὐθὺς ἥρεσεν, ἀλλὰ δεῖ ῥάττεσθαι καὶ δάκνεσθαι*: at prius verbum iam Seldenus in *χαράττεσθαι* mutandum vidit; cui si pro *δάκνεσθαι* adiunxeris *διανέμεσθαι*, omnia, opinor, sarta tecta habebis. Alterius quoque Dionis Cassii fragmentum inter Excerpta Vaticana nuper ab Angelo Maio repertum c. 29 praeteriens restituo: *μὴ οἰδούντων* (cod. *τι δούντων*) *σφίσιν ἔτι τῶν πρὸς τοὺς Λατίνους πραγμάτων*, quemadmodum idem LIV. 6 et LXIV. 7 locutus est; Emperii vero quoniam mentio facta est, eodem remedio, quo is in hoc ipso Museo T. I, p. 452 apud Sophoclem Oed. Col. v. 1076 *δώσειν* in *σώσειν* mutandum esse vidit, eiusdem fabulae alius locus sanandus videtur, ubi vulgo *δὲ* in interrogatione positum offendit, v. 893:

τὰ ποῖα ταῦτα; τίς σ' ὁ πημήνας; λέγε.

Agmen claudat nunc quidem Demosthenis Midiana, ubi §. 86 transponendo demum integritati suae reddi arbitror: *τὴν μὲν δίαιταν εἴασε καθ' ἑαυτοῦ κυρίαν γενέσθαι, καὶ ἀντιλαχὼν οὐκ ὤμοσεν, ἀλλ' ἀνώμοτος ἀπηνέχθη*, §. 166 autem *πρότερον* pro *πότερον τελωνίαν κ. τ. λ.* legendum coniicio. In priori loco insolentia formulae *δίαιταν ἀντιλαχεῖν* corrigendi conatum satis excusabit; in altero vero ne quis eandem utriusque lectionis vim esse putet, recogitet, quod acute Beierus ad Cic. Laelium p. 204 docuit, in quaestionibus disiunctivis id quod ipsam quaerendi causam attulerit, posteriori loco poni; quod si *πότερον* servaremus, cui in altero membro respondet *ἢ φιλοτιμίαν*, Demosthenes ambitione potius quam lucri cupidine Midiam ductum esse innueret; vera ipsius sententia ita demum prodibit, ubi sublata interrogatione *πρότερον* i. e. *μᾶλλον ἢ φιλοτιμίαν* legimus.